

gunt : qui ad sortes revocati , undecim aureas ex omni numero educunt : quas qui eduxerint , ii demum unum & quadraginta viros creant , qui Ducem summumque urbis magistratum legunt . Lectionis hujus ducariæ rationem ( quia apud eos quos sequimur nihil de ea scriptum reperio ) fateor me ex Benedicto Trivisano totam cognovisse , quem ad Veronæ præfecturam exeuntem ex Venetiis secuti fuimus . Ab eo itaque ( nam sæpe una sumus , ejusque sermone vehementer delector ) accepimus , unum & quadraginta viros illos ducariæ lectionis auctores in ea parte curiæ claudi solere , ubi pene quotidie Senatus habetur . Tum ibi sub primum ingressum tres ex omni numero , qui annis & auctoritate præstare credantur , totius collegii principes creati , quos ipsi inter se priores appellent : inde aliquanto digniore his loco quam reliquis constituto , dividitur ipsum conclave quadrifariam , ut sint loca unde nominatim suffragaturi citentur : qua parte esse velit , fas est unicuique optare . Ex qualibet igitur illarum partium ( nam id haud multum refert ) vocati , ad conspectum illorum trium suffragatum veniunt , singuli complicatas schedulas habentes , in quibus nominatim exprimunt , quem Ducem velint creatum iri : eas in unum conjiciunt locum ; ubi vero omnes retro abiere , scribæ duo , qui senioribus illis assistunt , ipsis spectantibus , perspiciunt , quot numero cuique suffragati sint . Tum illorum nomina quibus suffragia quæsitæ sint , in pileum demissa sorte educuntur , & ut quoto quisque loco fuerit eductus , ita ordine cum suis suffragiis notatur . Sed hæc ipsa suffragia non tam conferunt ad Ducis creationem , quam ad dispositionem animorum percipiendam . Redactis itaque in ordinem nominibus , & rursus in unum connectis : tum pro eo , cujus nomen primo fuerat sorte eductum , suffragia citantur , ipse interim in proximum penetrabile cogitur abire . Verum priusquam illa ineantur , quæritur ab iis qui adsunt , an quisquam sit illi pro quo citentur ad suffragium , aliquid objecturus : fitque potestas omnibus libere , quid de eo sentiant , loquendi : tum si quis est , qui aliquid ei objiciendum putet , in medium procedit , omnia dicit , quibus ille indignus videri possit , cui amplissima ur-